

### II.2.3.

#### [1r] Extensio

In nomine Domini. Anno a nativitate eiusdem millesimo quingentesimo sexto, indictione nona, die lune, vigesimo septimo mensis aprilis, in vesperis. Cum alias factum fuerit instrumentum pactorum et conventionum per et<sup>a</sup> inter dominos tunc priorem et scolares capelle seu scole Conceptionis beate Virginis Marie constructe in ecclesia Sancti Francisci Mediolani etc. ex una, et magistrum Leonardum de Vinciis Florentinum, filium domini Petri, ex una alia, et dominos Evangelistam et<sup>b</sup> Iohannem Ambrosium, fratres de Prederiis, filios quondam domini Leonardi, ex una alia seu aliis pluribus, continentie in effectu quod prefati domini tunc prior et scolares tenerentur et deberent dare anchoram capelle suprascripte ad fabricandam suprascriptis dominis Leonardo, Evangeliste et Iohanni Ambrosio, per modum et formam prout latius in instrumento superinde confecto continetur; et quamquidem anconam etc. predicti magister Leonardus, Evangelista et Iohannes Ambrosius, et quilibet eorum in solidum cum renuntiatione novarum constitutionum obligati erant fabricare, ac attendere et observare, et dare et consignare fornitam dictis dominis priori et scolaribus etc. inde ad festum conceptionis gloriosissime Virginis, quod fuit die octavo mensis decembris anni 1483 proximi preteriti; et quod fornita et consignata dicta ancona ut supra, prefati domini prior et scolares obligati essent, sub obligatione bonorum dicte scole, dare et solvere dictis magistro Leonardo et dominis Evangeliste et Iohanni Ambrosio libras octocentum imperialium, et illud plus quod declararetur per venerabilem dominum fratrem Augustinum de Ferrariis ex dominis fratribus dicti monasterii et duos ex scolaribus dicte scole eligendis per dictas partes post fabricationem dicte ancone; et quam anconam dictus magister Leonardus et dicti de Prederiis obligati essent facere et manuteneret valoris et extimationis librarum octocentum imperialium et melius per annos decem /1v/ tunc proximos futuros ad minus, et etiam cum pacto quod si accideret quod dictus magister Leonardus recederet a civitate Mediolani ante fabricationem dicte ancone, quod esset in electione dictorum dominic<sup>c</sup> prioris et scolarium dare<sup>d</sup> dictam anconam ad fabricandum aliis personis prout eis dominis priori et scolaribus melius videbitur, et quod arctari non possent ad aliquid versus dictum magistrum Leonardum, nisi ad ratam pro rata illius operis quod reperiretur fabricatum per dictum magistrum Leonardum etc., prout latius in eo instrumento pactorum continetur, traditum et rogatum per dominum Antonium de Capitaneis notarium Mediolani die xxv aprilis dicti anni 1483 proximi preteriti seu anno, indictione et die in eo contentis. Cumque dicti domini fratres de Prederiis, suis et nomine dicti magistri Leonardi etc., receperint a suprascriptis dominis priore et scolaribus et cetera libras septem centum triginta imperialium occasione et seu pro parte solutionis predictorum anchone et ut supra, prout latius apparent per instrumentum confessionis superinde confectum rogatum per Petrum de Pegiis notarium Mediolani die \*\*\*\*\*.

Cumque etiam dicti de Prederiis seu alter eorum in alia parte receperint a dictis dominis priore et scolaribus seu agentibus pro eis alias libras centum imperialium pro et occasione solutionis predicte ancone<sup>e</sup> et tabule, prout ad libros prefate scole apparent; cumque etiam sit quod dicta ancona non fuerit finita in predicto tempore nec etiam de presenti sit finita etc.; cumque etiam sit quod dictus magister Leonardus recesserit a dicta civitate Mediolani iam pluribus annis proximis preteritis non finitis dictis laboreriis; cumque etiam sit quod decesserit dictus dominus Evangelista, relicto Leonardo eius filio legitimo et herede; cumque etiam sit quod occasione

predictorum etc. versa sit lis et contentio per et inter dominos priorem et scolares dicte scole ex una, et dictum dominum Iohannem Ambrosium de Prederiis ex una alia, occasione predictorum anchone etc. ac numerationis seu solutionis predictorum denariorum ut supra, et etiam abinde dependentibus etc. Et proinde etiam supplicatum fuerit serenissimo Regi Francie et duci Mediolani etc. per utramque partem seu agentes pro eis, et facta fuerit comissio spectabili iuris utriusque doctori domino Bernardino de Busti de Collegio dominorum iurisperitorum Mediolani per modum et formam [2r] prout latius in ea commissione continetur; cumque noviter facta fuerit et sit electio de spectabilibus dominis Cesare de Cremona et Paulo de Sancto Nazario ex scolaribus dicte scole per et inter dominos priorem et scolares dicte scole ex una, et dictum dominum Iohannem Ambrosium de Prederiis suo et nominibus dicti magistri Leonardi de Vintiis, et dicti filii et heredis quondam domini Evangeliste ex alia, pro declaratione fienda una cum prefato domino fratre Augustino de Ferrariis de et pro predictis; cumque etiam sit quod prefatus dominus frater Augustinus de Ferrariis habuerit licentiam a superiore suo acceptandi predictam electionem et procedendi ad expeditionem etc., prout apparent per instrumentum rogatum, ut dixerunt, per Ambrosium de Gafurris notarium Mediolani anno presenti et die in eo contentis; cumque etiam sit quod prefati domini frater Augustinus, Cesar et Paulus viderint et diligenter consideraverint dictam anchoram et tabulam, et<sup>f</sup> aloquuti fuerint cum dictis partibus, aliquando simul, aliquando separatim, et etiam cum pluribus in simili arte peritis etc., et etiam viderint et audiverint<sup>g</sup> quicquid proinde dicere et hostendere voluerunt predicte partes etc.<sup>h</sup>

Cumque emanatum fuerit perhemptorie mandato prefatorum dominorum fratris Augustini, Cesaris et Pauli ut supra dicto domino Iohanne Ambrosio et aliis etc. ad instantiam dictorum dominorum prioris et scolarium dicte scole pro expeditione eorum declarationis etc.

Modo prefati dominus frater Augustinus de Ferrariis ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci habitans in dicto monasterio Sancti Francisci Mediolani, dominus Cesare<sup>i</sup> de Cremona filius quondam magnifici domini Caroli, porte Vercelline Mediolani, parochie Sancti Petri intus Vineam, et dominus Paulus de Sancto Nazario filius quondam domini Iohannis Damiani, habitans in loco de Sidriano plebis Corbete ducatus Mediolani<sup>j</sup>, ambo ex scolaribus prefate scole, et omnes electi ut supra. Et quilibet eorum pro tribunali sedentes super quodam bancho posito in<sup>k</sup> capitulo magno dicti monasterii Sancti Francisci Mediolani, quod banchum [2v] et quem locum in hac parte prefati electi elegerunt et eligunt pro eorum loco, bancho et tribunali idoneis pro infrascriptis omnibus et singulis specialiter peragendis omnibus modo, iure, via, causa et forma quibus melius potuerunt et possunt, declaraverunt et declarant dictos magistrum Leonardum et Iohannem Ambrosium, suo et dictis nominibus, teneri et obligatos fore ad finiendum, seu finiri faciendum bene et diligenter predictam tabulam<sup>l</sup>, super qua depicta est figura gloriosissime Virginis Marie. Et hoc in termino duorum annorum proximorum futurorum, per manum dicti magistri Leonardi, dummodo dictus magister Leonardus veniat ad hanc civitatem Mediolani in dicto termino et non aliter. Et dictos dominos priorem et scolares estra initium obligationis ipsorum dominorum scolarium et bonorum suorum teneri et obligatos esse ad dandum et solvendum ex bonis dicte scole dictis dominis Iohanni Ambrosio et consortibus pro omni et toto eo quod ipsi domini Iohannes Ambrosius et consortes petere et consequi possent a prefatis dominis scolaribus, seu super bonis ipsius scole, libras ducentum imperialium pro resto eorum dominorum Iohannis Ambrosii et consortium dicte ancone et etiam tabule super qua depincta est dicta imago gloriosissime Virginis Marie cum filio et sancto Ioanne Baptista. Et hoc in tot bonis immobilibus dicte scole sitis in<sup>m</sup> territorio de Casorate, aut

in denariis in termino duorum annorum proximorum futurorum, videlicet libras centum imperialium singulo anno; ab aliis autem vicissim petitis per dictas partes liberaverunt et liberant dictas partes et eorum bona.

Et de predictis rogatum fuit per me Baptistam de Rippa notarium infrascriptum, et in hac parte notarium predictorum dominorum electorum etc. publicum confici debere instrumentum unum et plura unius et eiusdem tenoris.

Actum in suprascripto capitulo sito ut supra. Interfuerunt ibi testes dominus Petrus de Clivate filius quondam domini Thadei porte Vercelline Mediolani, parochie Sancti Petri intus Vineam, dominus Michael de Machachanis filius quondam domini Gabrielis porte Ticinensis Mediolani, parochie Sancti Petri in Caminadella, ambo noti, et Thadeus de Guenciis de Chignolo filius quondam Zanini porte Ticinensis Mediolani, parochie Santi Petri in Caminadella, omnes idonei vocati et rogati.

<sup>a</sup> Segue inter depennato. – <sup>b</sup> Segue dominum depennato. – <sup>c</sup> Segue pris depennato. – <sup>d</sup> dare in interlinea preceduto da dictam depennato. – <sup>e</sup> Segue etc. depennato; et tabule in interlinea. – <sup>f</sup> tabulam et in interlinea. – <sup>g</sup> audiverint in interlinea su vider depennato. – <sup>h</sup> Da aloquuti fuerint a predice partes etc. scritto a margine sinistro; seguono poi nel testo tre righe di scrittura depennata. – <sup>i</sup> Così nel testo. – <sup>j</sup> Nel testo Mediolano. – <sup>k</sup> Segue cplo depennato. – <sup>l</sup> Segue super qua depennato; seu anconam in interlinea. – <sup>m</sup> Segue termino depennato.